



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1607**

Sa. Thomais Martyr.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

Femina porro curata, letitia gestiens revertit. Multa alia supra vim naturae memoranda designauit Sanctus, quæ ne fastidium crearemus lectori, quamuis inuiti præterimus. Quinque ergo supra nonaginta annos in hac virtutis palæstra versatus, cum nunquam ab ea declinasset, nec locum mutasset, ad decimum ultra centesimum ætatis annum peruenit, multis variisque editis vaticiniis & prædictionibus, quas omnes euentus ipse comprobauit. Tandem magno fratribus cœtu collecto coactoque, unu virtute cæteris præstantiorem selegit: & huc, inquit, Deus pastorem in meum locum designauit. simulq; manu indigitabat & complebatur, omnibusque benè precatus, post dies septem ad Dominum abiit die sexta decima Martii.

24 Aprilis Sa. THOMAIS MARTYR.

**H**Æc Alexandrina fuit, à parentibus, ad omnem honestatem erudita, literis imbuta, tandemque viro nupta, apud quem prudenter se & commodè gessit, magna que cum laude honestatis & temperantiae vixit. Cum ergo in ædibus mariti dege-

degeret; sacerdote Thomaidis, qui nurum in domum cum filio acceperat, animorum perditor Diabolus impuras contra nurum cogitationes immisit, ita ut incestare filii coniugem omnino conaretur, remque ad opus deducere. Sed cum beata Thomais multis verbis improbum senem à scelere dehortaretur, atq; infimis precibus deprecaretur, ne pudorem sibi vellet extorque-re, frustra tamen fuit. Impulsus enim vel potius à malo dæmone occæcatus, & inflamatus arrepto gladio nurum suum cædit, rectaque medium findit, quæ mox animam edidit, ac pro castimoniâ imperfecta, martyri lauream retulit. Sacer autem extemplo cæcitate percussus, domi oberrabat. Ad sunt interea qui filium eius quærunt, repe- riuntque funus coniugis in terrâ fusum, & senem sacerum circa parietes reptantem, atq; hinc inde offendentem, & in ædibus suis cæco vestigio inerrantem, rogan, quid id spectaculi sibi velit? fatetur senex facin', seque parricidii reum accusat, additq; & rogar, ut ab iis ad magistratum deducatur, à quo capitâ sententiâ damnaretur. Faciunt illi, quod senex rogarat, eumque ad tribunal prætoris sistunt, qui cognitâ causâ, gladio in senem animaduertit. Hæc cum

*Disce Lus-  
cretia:  
Ante sce-  
lus, casta  
mors pati-  
enda fuit.*

M 3 Daniel

Daniel Scitani cœnobii archimandrita accepisset, Thomaidem in Scetam deportati curauit, ibiq; in suo cœmterio humauit, ut quæ pro pudicitia sanguinē profudisset. Fuit autem in Scetanâ domo, qui telo cupidinis ictus, ad libidinem vehementer incitabatur, is cum ad beatæ Martyris reliquias, & tumulum accessisset, seseque oleo ex ∴ lucerna delibuto inunxisset, acceptâ per nocturnam quietem, qua martyr illi visa, cœlesti imprecatione, experrectus, se penitus ab omni libidinis affectu expeditū sensit. Ex quo tempore illius cœnobii sodales, singulare præsidium in hoc corporis conflictu per beatam Thomaidem acceperunt.

19. April. S. THEODORVS M.

**A**ntonino rem Romanam administrante, præside Pergæ Pamphyliæ Theodoro, flos iuuenum multorum, formâ & oris dignitate præstantium in militiae rudimentū & tirociniū conscriptus, quos inter & hic beatus Theodorus ad ducē est deductus. Accinctus ergo militari more, & signo Martis, quemadmodum & cæteri, instructus, ipse mox signum abrupit: Ego, inquit, ab ipso

∴ in τῆς  
φωταγω-  
γε.